

**Dissertatio inauguralis medica de medicamentorum alterantium natura usu et abusu / [Tobias Benjamin Fuchs].**

**Contributors**

Fuchs, Tobias Benjamin, 1709-  
Wedel, Johann Adolph, 1675-1747.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jena : Litteris Jo. Frid. Ritteri, [1733]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hua3efzv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. O. M. B. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MEDICAMENTORVM  
ALTERANTIVM NATVRA  
VS ET ABVS**

---

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO*

**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE WESTPHALIAE ET RELIQUA

*SVB PRAESIDIO*

**IOANNIS ADOLPHI WEDELII**

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD.  
SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARII  
ISENACENSIS AVLICI ET ARCHIATRI ET ACAD.  
NATVR. CVRIOSOR. COLLEGAE

*PATRONI PRAECEPTORIS ATQVE FAVTORIS  
IN AETERNUM PIE COLENDI*

**PRO LICENTIA**

GRADVM DOCTORIS INSIGNIA ET PRIVILEGIA

MORE MAIORVM RITE CONSEQUENDI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

**A**

**TOBIA BENIAMIN FUCHSIO**


VRATISLAVIA - SILESIO

AD D. APRIL. M DCC XXXIII. LOCO ATQVE HORIS CONSVENTIS.

---

IENAE LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

15  
СИМФОНИЯ  
ДЛЯ СИМАФОРНОГО  
И ОРКЕСТРА  
СО СТИХИЯМИ  
СИМФОНИЧЕСКОГО  
ОБЩЕСТВА  
СИМФОНИЧЕСКОГО  
ОБЩЕСТВА  
СИМФОНИЧЕСКОГО  
ОБЩЕСТВА  
СИМФОНИЧЕСКОГО  
ОБЩЕСТВА  
СИМФОНИЧЕСКОГО  
ОБЩЕСТВА



## I. N. I.

### §. I.



E medicamentis alterantibus dicturi ante omnia, quid sit medicamentum, & quid per verbum alterare intelligamus, explicari debet. Medicamentum itaque est omne corpus, quod ob particularum constituentium, definita proportione mixtarum, vim, si prudenter vel intra corpus humanum adsumatur, vel exterius eidem applicetur, huius partes vitias emendare valet.

### §. II.

Alterare & alteratio latina verba alias non comprehenduntur, longo tamen vsu a philosophis & medicis recepta sunt. Philosophis alteratio est mutatio ad qualitatem quamcunque. Medici omnem medicamentorum effectum generatim alterationem dicunt, ad differentiam alimentorum, quæ nutritionem præstant, & venenorum, quæ destructionem & corruptionem corpori viuenti inferunt. Speciatim autem nomen hoc medicamentis, quæ sine euacuatione mu-

tationem in melius faciunt, tribuitur. Atque ita distingui generatim medicamenta solent in alterantia & euacuantia. Specialius vero, cum alteratio medicis in methodo medendi mutatio qualitatis humorum vitiatæ in naturalem, sine euacuatione, dicatur, medicamenta καὶ ἔξοχην alterantia vocantur, quæ alterationem hanc humorum efficiunt, de quibus nobis iam sermo est. Quidam equidem ad primas tantum dictas qualitates hanc denominationem referre voluerunt, nos autem cum reliquis, eandem omnibus compete re qualitatibus, statuimus.

### §. III.

Alterantia medicamenta cum humoribus qualitate peccantibus sine euacuatione corrigendis destinata sint, eorundem naturam, usum, & abusum intelligere non licet, nisi qualitatis humorum peccantis habeamus cognitionem. Hæc itaque præmitti debet.

### §. IV.

Qualitatem humorum generatini vocamus eam eorundem agendi facultatem, quæ a particularum constituentium inter se mixtarum proportione definita dependet. Particulae humorum constituentes repriuntur sulphureæ, salinæ, aqueæ & terreæ, quæ, definita proportione inter se mixtæ, quamlibet humoris partem minimam, omnibus reliquis similem, constituunt. Hæc quidem haud omnes sunt simplicissimæ, ut sensibus se offerunt, sed quædam ex simplicissimis compositæ, recte tamen pro constituentibus habentur. Nam humores in tales, si resoluantur, abeunt, & ex similibus restaurantur, nec omnium resolutio in simplicissimas facile fit, vel prompte obtineri potest; & præterea quædam illarum, si secedant, sensus nostros fugiunt. Atque hoc quibusdam imposuit, ut crediderint, aliam in his fieri posse mutationem, quam quæ a minimis, in se immutabilibus,

bus, diuersimode combinatis & separatis dependet, cum tamen hæc sola, si penitus omnia phænomena examinentur, hic locum habeat.

## §. V.

Diuersæ particulae humores constituentes cum sint, diuersam quoque habent vim, combinatae autem si reddantur, compositam quoque vim adquirunt. Variat autem hæc vis composita, primo prout particulae vnius speciei alias diuersæ speciei particulas in actiuitate sua vel impediunt, vel promouent, vel relinquunt, deinde pro quantitate particularum cuiuslibet speciei diuersa, quæ gradum eiusdem varium determinat. Quodsi enim vnius speciei particulae in aliis speciei particulas agant, actio illarum in has maior erit, si illæ his sint copiosiores & contra. Ergo gradus fiet maior vel minor vis compositæ. Effectus autem vnius speciei definitæ particularum constituentium in aliis speciei definitæ particulas necessario definitus quoque esse debet; &, quantitate definita earundem præsente, gradus quoque definitus sequitur. Nulla enim esset ratio, cur, iisdem præsentibus causis & circumstantiis, aliis oriretur effectus. Adeoque iisdem particulis diuersis constituentibus præsentibus, & eadem proportione inter se mixtis, similem quoque vim compositam, haud vero aliam, hæ habebunt, quæ qualitas humorum vel temperies dici solet.

## §. VI.

Qualitates hæ humorum vitalium in tres classes diuiduntur, vt prima contineat calorem & humiditatem, secunda consistentiam, ratione tam cohaesionis, quam volatilitatis, tertia autem acrimoniam seu qualitatem salinam. Qualitates dictæ diuersum habere gradum possunt, vt ex dictis constat. Si itaque tali gaudeant gradu, vt actionibus naturalibus edendis humor aptus sit, naturales vocantur; sin autem is earum

sit gradus, vt actiones humorum naturales fieri recte nequeant, præternaturales dicuntur.

### §. VII.

Qualitates præternaturales, cum a naturalibus gradu tantum differant, vel in excessu vel in defectu sunt constitutæ. Massa sanguinea itaque, si qualitatibus primæ classis peccet, erit vel nimis calida vel frigida, vel nimis humida vel sicca, vbi frigus & siccitas non absolute sumuntur, sed minorem, quam par est, gradum caloris & humiditatis designant. Iuxta secundæ classis qualitates, tam massa sanguinea, quam reliqui humores peccant nimia vel crassitie vel humiditate, nimia vel volatilitate vel fixitate. Acrimonia in massa sanguinea, lympha, saliuia, succo pancreatico, lacte &c. secundum naturam adesse haud debet, sed salia proportionata in iisdem præsentia a sulphureis reliquisque ita temperata, vt haud emineant, requiruntur. In aliis autem quibusdam humoribus determinata & blanda tantum, vt in bile amarities, in vrina falsedo moderata, naturalis est. Omnis itaque acrimonia excdens, & in quibusdam deficiens, præternaturalis est, & humores hac, in iisdem præsente, peccant. Est autem hæc acrimonia vel alcalica, vel acida, vel media seu salsa, vel bilioſa, vel acido bilioſa, vel acido-pituitosa vel acido-terrea seu austera.

### §. VIII.

Vt naturalis qualitas a particularum constituentium mixtarum proportione definita, & scopo apta, dependet, ita præternaturalis ab earundem proportione definita vitiata, hoc est, fini minus congrua, prouenit. Ad naturalem itaque qualitatem, vt humor viuentis eandem habeat, requiritur, vt omnes particulæ constituentes diuersæ speciei, huc pertinentes, adsint, & determinata proportione, qualem vis desiderata postulat,

lat, inter se mixtæ sint. Præternaturalis autem humoris qualitas emergit, si vel quædam particularum constituentium species plane peregrina iuncta sit, vel, quando necessariæ præsentes quidem sunt, maiore tamen aut minore, quam par est, quantitate hæ gaudeant. Peregrina harum particularum species illa est, quæ, in humore hærens, ad essentiam eiusdem non pertinet & cum reliquis vim compositam alienam, seu sanitati vel vitæ aduersam, efficit. Talem speciem peregrinam exhibit miasma febrile, scorbuticum, venereum ut & venenum varii generis. Quando autem ordinaria particularum constituentium species magis, quam debet, abundat, huius quoque vis præualebit; eadem ratione, si quædam nimis deficiat, reliquarum vis augebitur, & ita semper qualitas præternaturalis euadet.

### §. IX.

Præternaturalis humorum qualitas in naturalem mutari debet, vt sanitas redeat. Cumque naturalis qualitas semper in medio inter excessum & defectum consistat, per se patet, quod vitiosæ qualitatis mutatione in contrarium eo vsque fieri debeat, donec ad medium statum naturalem redeat. Adeoque alteratio semper fit in contrarium conueniens. Hoc autem aliter fieri non potest, quam proportionem particularum constituentium decentem restituendo, cum ab hac vnicè dependeat. Restitutio huius proportionis in eo consistit, vt particulas præsentes plane peregrinas corriganus & euacuemus, ordinarias abundantes emendemus, &, si hæc emendatio non sufficiat, euacuemus, & tandem ordinarias deficientes restauremus. Ex his itaque constat, mutationem qualitatis humorum vitiosæ in naturalem fieri particularum præsentium partim correctione, partim euacuatione. Correctio autem hæc præsentium proprie alteratio dicitur, qua qualitas

tas vitiosa sine euacuatione emendatur. Euacuatio autem cum hic s<sup>e</sup>pe sit necessaria, non tamen semper, ob particularum euacuandarum conditionem, institui ex voto possit, præcedentem alterationem postulat, id quod in plane peregrinis remouendis s<sup>e</sup>pissime ysu venit, vt & in alijs.

### §. X.

Correctio particularum præsentium dicta seu alteratio aliter fieri haud potest, quam vt aliæ ipsis contrariæ sua accessione & miscela, harum vim vitiosam emendent, id est yim compositam aptiorem & definitam seu qualitatem desideratam efficiant. (§. 5. 9.) Atque ideo etiam restauratio deficientium facit, vt reliquæ adhuc præsentes particulæ, qualitatem definitam aptam non habentes, harum accessione & mixtione eandem adquirant, & sic alteratio fiat. Formalis igitur ratio alterationis ea est, vt vis particularum præsentium minus congrua, per contrariarum aptarum accessionem & mixtionem, composita definita & scopo apta reddatur. Vnde permanent quidem in alteratione præsentes particulæ, sed vis earundem damnosa per σύγχεισιν corrigitur.

### §. XI.

Cum itaque alteratio per contrariarum particularum aptarum accessionem & mixtionem fiat, hæ ipsæ particulæ instrumentum vel materia alterationis erunt. Tales autem reperiuntur vel in alimentis vel in medicamentis. Alimenta, cum ad fontem diæticum pertineant, seorsim considerantur. Vis autem eorum alterandi eadem habet fundamenta, ac medicamentorum, & respectu alterationis sunt alimenta medicamentosa, cum alias nutritioni tantum inseruire debeant. Medicamenta igitur, quæ ex particulis talibus aptis constant, vt effectum dictum edere queant, alterantia sunt & dicuntur.

### §. XII.

## §. XII.

Generali alterationis & medicamentorum alterantium idea perspecta, ad species transire debemus, quæ, pro qualitatis peccantis specie diuersa, variant, & speciale nomen adquirunt. Ita alteratio caloris excedentis dicitur refrigeratio, & medicamenta eam præstantia refrigerantia vel frigida dicuntur: humiditatis excedentis alteratio, siccatio, & ejus medicamenta siccantia vocantur: siccitatis alteratio est humectatio, & medicamenta eius humectantia salutantur: crassitiei alteratio attenuationis, incisionis & resolutionis nomine venit, eiusque medicamenta attenuantia, incidentia & resoluentia denominantur: nimiæ tenuitatis alteratio, incrassatio est, vnde medicamenta incrassantia nomen habent: volatilitas alteratur fixatione, & fixitas volatilisatione, vnde illa medicamenta figentia, hæc rarefacentia vel volatilisantia requirit: acrimonia humorum corrigitur generatim per edulcationem, quam medicamenta edulcantia perficiunt, speciatim autem cuilibet acrimoniæ specialiora opponi debent.

## §. XIII.

Caloris excedentis alteratio cum sit refrigeratio, huicque debeantur medicamenta refrigerantia vel frigida, horum naturam intelligere tunc poterimus, si caloris excedentis rationem habeamus cognitam. In naturali statu successiue & proportionate partes spirituosa massæ sanguineæ particulas igneas, in sulphureis sanguinis partibus hærentes, liberant, quæ hinc calorem blandum vitalem massæ sanguineæ, &, mediante hac, toti corpori præbent. In præternaturali autem nimia hæc fit liberatio, adeoque nimius & præternaturalis calor oritur. Nimia liberatio partium ignearum fit a proportione partium, massam sanguineam constituentium, ita vitiata, vt vel partes eius sulphu-

reo-salinæ volatiles, seu biliosæ, rarefactæ, nimis abundant, serum autem blandum deficiat, vel in eadem miasma peregrinum sulphureo-salinum acre, & sulphureas sanguinis partes rarefaciens, hæreat. Biliosæ enim rarefactæ abundantes a sero præsente temperari sufficienter nequeunt, adeoque igneæ ex his copiosius liberantur, quæ reliquis sulphureis, nondum ita rarefactis, adhærent, easque itidem magis rarefaciunt, ut sic nimia liberatio ignearum, & hinc calor maior, eveniat. Serum blandum biliosas rarefactas temperare solet, ne nimis rarefiant, sed successiva liberatio ignearum contingat, si igitur hoc deficiat, illarum rarefactione incrementum capere debet. Deficit autem, si vel absumatur, quod & per igneas, nimis copiose liberatas, difflando & dissipando fit, & per alias causas; vel intemperatum euadat, hoc enim blandi seri officium præstare haud potest, sed contrarium potius. Miasma peregrinum, rarefaciens, vel conceptum vel illatum, sæpen numero partes illas rarefacentes & acres viscidioribus aliis immersas gerit, vnde illæ tamdiu silent, donec hæ, sanguini remixtæ, disiungantur, quo facto vim suam exercent.

#### §. XIV.

Correctio caloris nimii si desideretur, liberatio partium ignearum nimia moderanda est. Hæc autem obtinetur primo, particulas biliosas rarefactas massæ sanguineæ abundantes corrigendo & euacuando, deinde, serum blandum deficiens restituendo, & tandem, miasma peregrinum rarefaciens, si adsit, corrigendo & euacuando. Cum itaque etiam & hic caloris excedentis mutatio in naturalem fiat particularum præsentium partim correctione, partim euacuatione, & earundem correctio proprie alteratio dicatur (§. 9.), caloris vero excedentis alteratio refrigeratio audiat,  
(§. 12.)

(§. 12.) refrigeratio proprie vocabitur hæc particularum præsentium correctio, qua calor excedens, sine euacuatione, ad naturalem gradum perducitur.

## §. XV.

Particularum biliosarum rarefactarum, & miasmatis peregrini rarefacentis, præsentium correctio seu refrigeratio cum per particulas contrarias aptas accedentes fieri debeat (§. 10.) hæc eiusmodi requiruntur, quæ rarefactionem, & hinc ignearum liberationem, nimiam impediunt. Tales autem sunt particulæ terreæ, quæ absorbent salino-sulphureas, acres, rarefactas, & figunt; acidæ & salinæ mediæ, quæ figunt sal volatile & sulphur rarefactum; sulphureæ salibus non refertæ, quæ obtundunt salinas acres, motumque earundem compensunt; aqueæ, quæ serum restituunt, & diluendo vim illarum infringunt. Medicamenta itaque, quæ ex talibus particulis constant, sunt refrigerantia, seu frigida. Medicamenta terrea sunt v. g. corallia, conchæ, mater perlarum, lapides cancrorum, lapides pretiosi officinarum, lapis bezoar, cornu cerui philosophicum, vt & vstum, terræ pingues, vt terra Lemnia, bolus Armena, terræ sigillatæ variæ. Ex acidis sunt spiritus salis, vitrioli, clyssus antimonii, acetum destillatum, tincturæ florum acidulæ, acetosa, acetosella, succus citri &c. Inter salia media eminet in primis nitrum depuratum, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, arcanum tartari. Sulphurea salibus non referta sunt mucilaginosa, gelatinosa, farinacea, & alia, vt gummi Arabicum, tragacanthæ &c. gelatina cornu cerui, eboris, auena, hordeum, semina quatuor frigida maiora recentia &c. Aquea vt aqua ipsa simplex, tam sibi relicta, quam aliis ex dictis imprægnata, vt decoctum auenæ, hordei, simplex vel cum cornu cerui, scorzonera & aliis, decocta alia, quæ & acidula, nitrofa

troſa recipere poſſunt, ſerum lactis, aquæ deſtillatæ temperatæ, quæ in potiones & emuſiones impendi ſolent.

### §. XVI.

Maſſa ſanguinea frigidior ſeu calor eius magis, quam par eſt, deficiens debetur eiusdem particulis ſulphureis ſeu oleoſis & ſalinis volatilibus vel deficientibus vel depreſſis. Deficiunt, ſi vel non ſufficienter reſtituantur vel nimis euacuentur. Deprimuntur a ſero nimis aucto, a particulis acidis figentibus, pituitoſis, ſulphureis ligantibus, in ſanguine nimis accumulatis. Reſtitutio caloris decentis poſtulat, vt particulae oleoſæ & ſalinæ ſanguinis volatiles restaurentur, & præſentes depreſſæ liberentur. Liberatio hæc fit, ſi ſerosæ nimis abundantes minuantur, acidæ autem figentes, pituitoſæ, & ſulphureæ ligantes corrigantur, & euacuentur. Fit itaque etiam hæc caloris reſtitutio partim euacuatione partim correctione particularum præſentium, quæ correctio proprie alteratio, & hic ſpecialem calefactio, vocatur. Calefactio hæc ut fiat, addi particulis præſentibus, depressionem actiuarum præſtantibus, debent tam particulae oleoſo-ſalinæ volatiles, quæ has corrigunt, & vna utilium defectum restaurant, quam ſulphureo-ſalinæ alcalicæ fixiores, & ſalinæ alcalicæ, volatiles & fixæ, quæ acidum inuertendo & viscidum resoluendo, depreſſas liberant. His, ſi acidum figens magis emineat, accenſeri etiam poſſunt abſorbentia alcalina, vt & ſalina media, quæ pituitoſis etiam resoluendis & corrigendis apta ſunt.

### §. XVII.

Medicamenta itaque calida ſunt, quæ tales particulas in ſe continent. Quo minus autem partes ſalinæ concenteratae ſulphureis iunctæ ſunt, eo minori gradu hanc actiuitatem exercent. Vnde ad primum gradum cali-

calidorum referuntur, quæ non ita manifeste & notabiliter effectum hunc edunt, qualia sunt, quæ quidem odorata sunt, minus autem acria, vt flores tiliæ, lilio-rum conuallium, primulæ veris, ita quoque dulcia, cum mitiorem habeant saporem, adeoque & temperatus sal, huc referuntur, vt & quæ copiosioribus partibus terreis paucum sal immersum continent, vt hepatica nobilis. Non minus in hanc classem collocari possunt acidum absorbentia, terrea, salia media temperatiora, vt arcanum tartari; imo & reliqua actiuiora, minori dosi reliquis maritata, temperatiora euadunt. Secundum gradum vocant, vbi magis manifeste & notabiliter calor auctus emergit. Talia sunt sulphureo-salina volatilia & fixa, moderatiora tamen, & leniter acria, vt aromatica blanda, & alia acrimoniam minorem habentia, vt macis, melissa, maiorana, cubebæ; amara, vt centaurium minus, trifolium fibrinum, carduus benedictus, scordium, absinthium &c. Tertio gradu calida habentur, quæ maiorem calorem citant, & cum molestia, si maiore quantitate adhibeantur, talia sunt, quæ concentratum sal, vel volatile vel fixum, possident, & vel sulphureas magis expansas simul continent, vel minus, vt salia volatilia separata, vel aliis immersa, actiuoria, molestiam linguæ inferentia, aromatica fortiora, costus verus, caryophylli aromatici, alcalia concentrata, vt essentia antimonii acris & similia. Quarto gradu calida dicuntur, quæ præsentem noxam inferunt, inflammationem, erosionem, ob sal magis acre & corrosivum, & sunt caustica potentialia, vt cantharides, mercurius sublimatus, arsenicum, quæ tamen magis stasin sanguinis inferendo, quam per se eundem calefaciendo id præstant.

## §. XVIII.

Humiditas nimia oritur a sero sanguinem nimis, quam par est, exsuperante, tunc enim non satis spiri-

tuosum, & ob partes gelatinosas auctas, haud satis flu-xile est, adeoque diutius & copiosius fibris inhæret & nimis humectat, nec proportionata eiusdem secretio & diffatio fieri potest. Mutatio itaque humiditatis nimiæ in proportionatam vt obtineatur, serum copiosus præsens partim siccus reddendum, partim euacuandum. Siccatio fit partes actiuiores sanguinis augendo, partes seri gelatinosas resoluendo, & serum ipsum absorbendo. Partibus enim sanguinis actiuioribus auctis, serum & spirituosis redditur, & eius gelatinosæ partes fluxiliores euadunt, adeoque tantam humectandi vim non amplius habet. Gelatinosæ seri partes tam a dictis, quam per resoluentia & incidentia, non simul humectantia, adhibita, soluuntur. Diffari itaque & secerni ac excerni secundum naturam ita alteratum serum sponte solet nec accumulatur. Absorbendo autem, quia particulis absorbentibus fortius adhærescit, impeditur illa adhærens pars, quo minus in fibrillarum poros penetrare, adeoque easdem humectare, queat,

### §. XIX.

Actiuiores sanguinis partes augmentia medicamenta sunt calida, iam considerata, adeoque medicamenta alterantia siccantia sunt primo calida, deinde resoluentia, non simul humectantia, & tandem absorbentia. Calida & absorbentia paulo ante recensuimus, resoluentia inferius considerabuntur.

### §. XX.

Siccitas nimia a proportione massæ sanguinea ita vitiata prouenit, vt serum blandum deficiat. Hoc autem deficit, vel si præsens quidem est, minori tamen respectu sanguinis, quam par est, quantitate, vel si intemperatum sit. Licet enim hoc copiosius saepe reperiatur, minime tamen humectat & temperat, vt decet.

cet. Blandum autem serum id est, quod partes aqueas & gelatinosas, decenti quantitate, nulla autem salia eminentia, continet. Hoc vel ab ipso sanguine, calidore existente, minuitur, vel ab aliis causis. A qua cunque autem causa imminutum sit, eo ipso partes sanguinis calidores & actiuiores euadunt, & ulteriore rem seri imminutionem efficiunt, &, salibus biliosis eminentioribus redditis, intemperatum quoque praestant. Intemperatum vero serum est, quod salibus eminentibus deturpatum est. Ab hoc enim sanguis vel nimis efferatur, si salia vel lixiuiosa vel acido-biliosa adsint; vel nimis deprimitur & figitur, si acida salia emineant. Vnde fieri potest, ut serum copiosum, sed intemperatum adsit, & tamen calor maior exsuperet, ut in hydrope calido, aliisque morbis, videntur.

### §. XXI.

Siccitatis nimiæ reductio ad humiditatem conuenientem, seu humectatio apta, ut eveniat, proportio massæ sanguineæ decens restituenda est, ita, ut serum blandum sufficiens restauretur. Si igitur serum salibus deturpatum non est, sed tantum deficit, vel a calore sanguinis nimio nimis est difflatum, & intemperatum redditum, eadem superius laudata serum restituentia, quæ medicamenta humectantia propriæ sunt, conueniunt, ut & reliqua calorem excedentem temperantia. Sin autem salibus deturpatum sit serum, ante omnia eiusdem edulcatio, inferius commemo randa, est necessaria, inter quæ eadem serum restaurantia & diluentia reperiuntur.

### §. XXII.

Crassitudo seu spissitas humorum dependet a defectu soluentis, & abundatia particularum lendarum, pituitosarum, tartarearum, & acidi austeri fagentis.

Atten-

Attenuatio itaque per restitutionem soluentis, incisionem particularum pituitosarum, resolutionem tartarrearum, correctionem acidi austeri, fieri debet, quæ iuuatur, si partes lentæ nimis abundantes correctæ euocuantur. Medicamenta itaque alterantia, quæ hoc præstant, generatim attenuantia vocantur.

### §. XXIII.

Soluens vniuersale corporis humani est serum, si itaque hoc deficiat, restituendum est per humectantia, si non haud satis actuum sit, acuendum & roborandum est per ea, quæ singulis crassiorum particularum speciebus soluendis idonea sunt. Humectantia sunt aquæ, potulenta, decocta, infusa, aquæ destillatæ, quibus addi & iungi debent, quæ solutionem iuuant.

### §. XXIV.

Pituitosas particulas attenuantia speciatim incidentia vocantur, talia sunt 1) acria, radix ari, squillæ, pimpinell. alb. asparagi, herb. cochlear. lepidii, hyssop. epithym. cost. ver. sinapi &c. 2) amara, vt rad. cichorii, trifol. fibrin. gentian. gramin. herb. absinth. fumar. summitat. cent. min. cort. cappar. tamarisc. &c. 3) aromatica cubeb. cinamom. cardamom. pulu. stom. Querc. spec. aromaticæ officinarum. 4) salia *acida* succ. citri, spiritus salis, clyssus antimonii, spiritus nitri dulcis: *alcalica*, volatilia, spiritus salis ammon. vrinos. liliorum convall. & similes alii; fixa, vt salia vegetabilium, tinctura tartari, antimonii: *media*, arcan. duplicat. Myns. tartarus vitriolatus, arcanum tartari & similia. 5) alcalina, lapides cancror. antimon. diaphoreticum, &c. 6) mercurialia, vt mercur. dulcis, cinnabaris natiua, antimonii &c. 7) diaphoretica ipsa, 8) purgantia minori dosi, quam vt purgent, reliquis addita, exemplo animæ rhabarbari, tincturæ martis helleboratæ, oxymell. helleborati &c.

### §. XXV.

## §. XXV.

Tartareas coagulabiles partes attenuant resoluentia,  
 1) salina, acida, alcalica, & media, iam tacta, 2) aromati-  
 ca, amara & aperientia reliqua. Austerum acidum  
 figens & coagulans corrigunt in primis absorbentia, ter-  
 rea, alcalina, lapides cancrorum, corallia & similia,  
 maxime autem martialia, ut croci martis aperitiui,  
 antimonium martial. cachectic. tincturæ martiales, vi-  
 triolum martis. Idem corrigunt in uertendo salina al-  
 calica, tinctura silicum Glauberi, tinctura tartari &c.  
 ut & salina media iam dum recensita. Corrigunt &  
 edulcant sulphurea insipida, cinnabarina, flores sul-  
 phuris, semen lycopodii,

## §. XXVI.

Tenuitas humorum nimia ortum habet a partium  
 serosarum fluxilium seu aquearum abundantia, dein-  
 de a partium gelatinosarum defectu, & tandem a sali-  
 um dissoluentium abundantia. Mutatio itaque huius  
 tenuitatis in consistentiam proportionatam desiderat,  
 ut serosæ fluxiles partes partim minuantur, partim cras-  
 siores paulo reddantur, gelatinosæ restituantur & sa-  
 lia dissoluentia tam corrigantur, quam euacuentur.  
 Correctio hæc, quæ sine euacuatione fit, incrassatio  
 dicitur, quam efficiunt medicamenta incrassantia.

## §. XXVII.

Incrassantia igitur medicamenta sunt 1) quæ par-  
 tes serosas tenues sua accessione faciunt spissiores, ta-  
 lia autem sunt absorbentia & siccantia, terrea, ut terræ  
 pingues bolares & aliæ; ut & quæ muciliginosa sunt,  
 gummata insipida, gummi tragacanthæ, Arabicum,  
 cerasorum, radix althææ, symphyti; dulcia mitiora,

vt & pulposa, glyzyrrhiza, passulæ minores, sacch. canth. 2) quæ gelatinosas particulas sanguinis restituunt, gelatina cornu cerui, eboris, lac, emulsiones ex amygdalis dulcibus, pistaceis, seminibus 4. frigidis maioribus recentibus, iuscula auenacea; 3) quæ salia abundantia & dissoluentia obtundunt, qualia sunt omnia iam recensita, vt & sulphurea anodyna, opiata.

### §. XXVIII.

Volatiles nimis humores euadunt, si & tenues nimis sint, & rarefactionem maiorem subierint, quod defero in primis valet. Fixatio itaque conueniens medicamenta & incrassantia & refrigerantia proportionata postulat, quæ cum dictis coincidunt & huius intuitu figentia dici possunt. Eadem ratio est fixiorum humorum, qui a crassitie & frigiditate tales euadunt, vnde medicamenta eosdem volatiles reddentia sunt attenuantia & rarefacentia.

### §. XXIX.

Acrimonia humorum a salibus, in iisdem eminentibus, dependet, & eo maior est, quo copiosiora & concentratoria hæc sunt. Observuamus autem, hæc salia vel sibi relicta & manifesta, vel partibus terreis & tartareis, aut viscidis, pituitosis, immersa, & quandoque occultata, esse, vt illud in affectu hypochondriaco, & scorbuto, hoc in scabie, lue venerea & aliis videamus. Liberari ab acrimonia humores haud possunt, nisi vel salium vis infringatur & obtundatur, vel eadem euacuentur. Quæ itaque vim salium infringunt & obtundunt, sunt alterantia edulcantia. Salia, si sibi relicta sint & explicita, edulcari statim possunt, sin autem immersa sint terreis, tartareis, viscidis, pituito-

tuitosis partibus, ab his prius liberari debent, & hinc liberatae edulcari & euacuari.

### §. XXX.

Edulcant salia generatim, quæ hinc omnibus communia sunt, 1) diluentia aquæ, decocta &c. decoctum herbæ thee, coffee, hordei, & alia, reliquis circumstantiis vna conuenientia, 2) irretientia & obtundentia, sulphurea aquosa, semina 4. frigida maiora, amygdala dulcia, auenacea &c. mucilaginosa, gelatinæ, gummata insipida; dulcia mitiora, ut & pulposa, glyzyrrhiza, passulæ exacinatæ, passulæ minores, dactyli. 3) Absorbentia vel martialis, vel terrea, testacea, vel sulphurea insipida & sicca, ut cinnabarina, antimoniata, succinata, semen lycopodii &c.

### §. XXXI.

Speciatim salia alcalia mitigantur per acida, cum quibus in medium sal mitius abeunt; per salia media, in primis nitrosa. Acidorum salium vis infringitur a salibus alcalicis, fixis & volatilibus, hinc & alcalinis. Salsorum mediorum emendatio fit tam per acida, quam per alcalica, & in his aquam calcis viuæ quoque. Biliorum salium correctio. §. 15. iamdum est exposita. His tamen iungi generalia recensita debent.

### §. XXXII.

Salia partibus terreis & viscidis immersa sunt acidobilioſa & tartarea. Ad horum liberationem faciunt aperientia & resoluentia, talia tamen, quæ immersa salia non acuunt. Talia hinc ex dictis felicenda sunt, ad quæ etiam pertinent purgantia, minori dosi, quam purgare possint, addita reliquis. Pituitæ im-

mersa salia acida rosiua si sint, vt in lue venerea & adfinibus adfectibus, liberationem præstant alcalica concentrata, purgantia ipsa, & in primis mercurialia, quæ pituitam potentissime fundunt & liquant: liberatorum autem edulcatio iisdem peragitur, quæ his salibus alias debentur.

### §. XXXIII.

Alterantium medicamentorum natura ita cognita, dubitare haud amplius debemus, quin dentur alterantia, quæ a quibusdam pro rara aue habentur. De vsu itaque genuino eorundem debemus esse solliciti. Ante omnia, si in vsum vocare alterantia velimus, adesse prius indicans alterationis debet, quo secundum omnes circumstantias cognito, feligere medicamenta alterantia, exacte indicato satisfacientia, oportet. Quod fiet, si humoris qualitatem sciamus, eiusque specialem causam, tunc enim selectus difficilis non est.

### §. XXXIV.

Quoniam autem qualitates humorum vitiatae non solum alterantibus, sed etiam euacuantibus, corrigitur, tempus probe obseruandum, ab alterantibus initium faciendum sit, an a purgantibus. Si turgeant humores vitiosi, & ad euacuationem iam apti sint, præmittenda sunt euacuantia, parte enim dempta, reliquum quod est, alterari facilius potest. Sin autem habiles ad euacuationem non sint, nec turgeant, alterantia præmittenda sunt, ita enim partim corriguntur, partim ad euacuationem habiles euadunt. Quidam adfectus continuam ipsam euacuationem humorum, qualitate peccantium, postulant, vbi alterantia recte interponuntur simul, vt illa eo melius procedat, & reli-

reliqua proportio humorum restituatur, vt in febribus fieri debet.

### §. XXXV.

Quamdiu medicamenta alterantia continuari debeant, conditio humorum alterandorum ostendet. Si enim perfecte vitium cessauerit, etiam hæc remedia omitti debent, ne in contrarium vitium fiat transitus. Cumque alteratio successiue fiat, attendentibus facile finiendi tempus adparet. Mitiora alterantia præmitti solent, si adfectus moram concedat, & successiue ad potentiora progressus fit. Sin autem periculum in mora sit, verbi gratia in catarrho suffocatiuo &c. statim ad potentiora transeundum. Alias autem generatim, & in primis in adfectibus chronicis, successiue & pedetentim alterandum est, cum partes illæ inertes tam breui tempore superari haud possint, quæ per diuturnum spatium ortæ sunt.

### §. XXXVI.

Adplicantur medicamenta alterantia, vt vel adsumantur, vel exterius imponantur, illud frequenterius est, hoc in externis magis adfectibus usu venit. Forma externa pro ipsius medicamenti & adfectus conditione variat, quandoque & ægri. Tempus adsumendi ordinarium est matutinum, vespertinum & circa noctem. Extraordinarie autem singulis tribus quatuorue horis, vel adhuc sæpius, propinari possunt, si opus sit. Dosis conueniens sit, nec excedens, nec deficiens, quæ ab actiuitate medicamenti, ætate ægri, & adsumendi commoditate, determinari debet. Specialiora, quæ circa alterantia medicamenta notanda veniunt, in singulis adfectibus, & ipsa medicamentorum specialiori tractatione, considerantur. Nobis enim

enim animus non fuit, nec tempus, nec locus, ut ea  
ylterius iam prosequamur.

### §. XXXVII.

Abusus medicamentorum alterantium in eo con-  
sistit, vt minus eadem adhibeantur, quando indicantur,  
sed quando quibusdam videtur. Vnde & neglectis eu-  
acuantibus, & aliis indicatis, saepe noxie adplicantur,  
saepe quoque vitiose omittuntur, & euacuantibus solis,  
itidem contra rationem, macerant ægros & morbum au-  
gent empirici. Selectus quoque nisi decens instituatur,  
peregrina alterantia, & sic morbo haud conuenientia,  
sed eum deteriorem reddentia, usurpantur. Verbo,  
abusus horum semper est, si haud secundum indican-  
tium præsentium conditionem eorundem adhi-  
bitio determinetur.

**SOLI DEO GLORIA!**



\*     \*     \*

**E**r so wie Du, mein Freund, den  
Künsten sich ergeben,  
Und um Hygæens Gunst so eyfrig sich  
bemüht,  
Dem darff nicht beh der Cur Hand, Herz und  
Lippen beben;  
Und dieses ist allein was Ehre nach sich  
zieht.

Dieses schrieb dem Herrn DOCTORANDO;  
als seinem werthesten Herrn Landesmann  
zu Ehren,  
Dessen aufrichtiger  
**C**hristoph Ferdinand Kamper, D.  
Hochfürstl. Sächsischer Rath.

---

**G**loria sic sequitur meritos, sic fama  
coronat,  
Sic labor assiduus digna brabæa parat.

Desi-

Desidiæ indulgens, vacuasque fideliter  
urnas,

Pro famaque famem pauperiemque  
metet.

Te vigilasse juvat, totasque insumere  
noctes,

In studiis, vigiles continuasse dies.

Hincque tuas dotes nunc PATRIA terra  
coronat,

Ut fias PATRIAE LVMEN, AMORQVE  
TVIS.

Sic honoribus in medicina summis Praeclaris-  
simi DN. FUCHSII, Iuveni æquis pietati-  
ris ac eruditionis passibus ad summa que-  
vis enitenti, Amico suo longe suavissimo  
ex toto pectore applaudere voluit

JOH. GOTTFR. ZSCHAU, L. M.

P. C. L.